



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

XIV. Gratiae totius Westphaliae nomine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

religione doctrinis ludos aperiunt, erit quispiam Catholicus tam à studio avitæ religionis avertus, ut molestiam capiat animo, cùm à viris Principibus tot mortalium errorem miserantibus, opportunis locis gymnasia salubribus, nullâque peste contaminatis litteris excitantur? At enim, inquit, Academiarum nostrarum honorem, & antiquissimum decus tot novarum accessione infuscari nolumus. Itaque? tot populorum salus vestro isto fumoso nomine vobis est vilior? Quid enim? quacumque circumtulimus oculos, plena sunt omnia naufragiis miserorum. hîc si quis unde unde licuerit, validas, novas, omnibus rebus instructas naves contrahat, è propinquo pereuntibus signum ostendet, adnatantes accipiat, omnique ope reficiat, vos scilicet, Viri Sapientes, indignum facinus exclamabitis: obscurari illius navis gloriam, *quâ veſti Argivi delecti viri!*

Petebant illam pellem inauratam arietis. illam unam toto mari requiri, illam conscendi debuisse. illam qui nancisci nequiverit, eum scilicet fluctibus, diisque marinis esse permittendum. Quantò Academiis veteribus esset gloriosius, prognatis novis, acuere studia litterarum, intendere professorum assiduitatem, juvenum animos laudabili æmulatione inflammare, denique partam à majoribus gloriam non socios laborum refugiendo, sed industriâ omni vincendo, tueri ac propagare? Jam verò languentibus studiis, laxatâ disciplinâ, jacentibus bonis moribus, incitum est profectò bonas artes accusare, si tam malis modis acceptæ, nova sibi domicilia circumspexerint.

## C A P U T XIV.

*Gratiæ totius Westphaliæ nomine.*

**D**E hac tamen, Princeps Illustrissime, abs te constituta Academia, locorum intervalla, quibus sane non modicis hæc urbs abest a veteribus gymnasiis, omnem eripient querendi & indignandi locum. Quàm verò omnibus



bus Westphaliæ Ordinibus jucundum acciderit hoc beneficium tuum, satis hæc Academiae tuæ natalem celebrantium, gratulantium, gestientium frequentia, & inusitati plausus ostendunt. Quis enim est omnino summorum, mediorum, infimorum, cujus non os ipsum, atque vulcus exultantes tibi gratias agere videantur? Tu enim, Princeps Illustrissime, unus post hominum memoriam, ita de Westphalia universa es promeritus, ut cum ad te una duntaxat Episcopalis Ecclesia administranda delata sit divinitus, tamen eas quoque in quibus Episcopale munus non sustines, Episcopilibus jam tibi meritis, iisque immortalibus obstrinxeris. Quid enim tam dignum Episcopo quam in omnem retrò ætatem providere, ut omnibus scientiæ, & integritatis artibus erudiantur, qui sunt aliquando in Ecclesiasticorum hominum numerum allegendi? quam divinarum humanarumque rerum cognitione præstantes cum inferioris loci Clericos, tum Scholasticos, Decanos, Præpositos, aliosque magnates tanto antè fingere, & formare? Atqui hoc abs te commodum, Princeps Illustrissime, non minùs ceteris Westphaliæ Ecclesiis, quam huic tuæ, promptum est ac paratum. De quo quidem adsunt viri natalibus, virtute, dignitate spectatissimi, qui suarum tibi Ecclesiarum nomine gratulentur, & quod jucundissimum tibi gratiarum genus esse solet, hoc se tuo beneficio quamprimùm, ac deinceps perpetuò usus profiteantur. Quid? nobilissimus equester ordo, qui, jam inde à primis harum Ecclesiarum primordiis, suos in iis liberos DEO, Ecclesiæque commodis, & dignitati omnibus seculis consecravit, quantas tibi gratias, & laudes habet, ac dicit, quòd illos in ipsis modò patriæ ulnis, ad omne Ecclesiastici hominis officium, & decus assuefacere, omnibusque necessariis litteris perpolire tuo beneficio liceat, cujus antè gratiâ, magnâ patrimonii jacturâ, exiguo sæpe profectu, longinquis gymnasiis committebantur? Nam quid ego singulorum studia atque gratulationes exequar? Quantas enim spes omnium mentibus hæc tuâ munificentiam attulisti? Quis nunc est



est tam humilis, atque inops, qui in hac tam prompta atque expedita ad eximiam quandam eruditionis laudem perveniendi facultate, non aliquos suorum posterorum omnigenere litterarum ornatos? non aliquod familiæ præsidium? non aliquod Reipubl. lumen jam nunc animo præcipiat, atque expectet? Jam verò, Princeps Illustrissime, noli putare non eos quoque qui aliter atque nos de Religione sentiunt, hujus gratulationis esse participes. Abjecerunt illi jam pridem, atque detestati sunt (præter Anabaptistas) veterem illam Lutheri sui Academiis, & honestis disciplinis maledicentis insaniam. Vetant nos spem despondere salutis suæ, qui tamen etsi ab Ecclesia se removerunt, non tamen passi sunt densis illis ignorantia, ac barbariæ tenebris, quas ille, ne quando claram lucem aspicerent, eis offundere moliebatur, sibi ad eam aditum intercludi. Quòd si quis erit omninò in Westphalia, cui stomachum moveat hæc arx omnis salutaris doctrinæ, adversus eorum errores abs te collocata, is reputer hoc eodem loco posita quondam à Carolo Magno Augusto castra, quibus universam Westphaliam sibi, & CHRISTO subegit. Quis verò post illam victoriam fuit in Westphalia tam demens, qui negaret illa Caroli arma salutem Westphaliæ peperisse? quis ab eo victus est, quin gratias se debere victori fateretur? Ne dubita, Princeps Illustrissime: DEUS castris non jam armorum, & militum, sed salubrium doctrinarum in hac Urbe positus, indè ei salutem instaurare meditatatur, unde primùm olim oblata est. Oppugnantur nunc hæc castra, ut quondam illa adversariorum odiis, sed ubi semel manus dediderint, agnoscent contra suam se salutem dimicasse. Erunt etiam quibus quæ illis modò terrori sunt, & molestiæ, in delicias quondam & mella vertantur. Jam enim prospicio compluribus eventurum, quod de se, postquam à Manichæis ad Ecclesiam se retulerat, narrat D. Augustinus: *Nunc, inquit, ubera Ecclesiæ, post longissimam sitim penè exhaustus, atque aridus tota aviditate repetivi, eaque altius flens, & gemens concussus, & expressus, ut id manaret, quod mi-*

*Lib. de  
util. cred.  
cap. 1.*



*hi sic affecto ad recreationem satis esse posset, & ad spem reducendam vitæ, ac salutis.* Neque enim abesse potest, in tanta multitudine honestissimorum hominum, qui magnis ingeniis, integrisque moribus præditi, nullâ animi perversitate, sed solâ ignorantia veri, nobis se morantur adungere, quin complures sint futuri, quibus gravis illa, solida, constans Catholicæ Ecclesiæ doctrina, tot bonarum artium fulca præsidia, inimicas veritati sit opiniones detractura. Quibus detractis, ut nihil est veritatis cognitione dulcius, exardescant nimirum dolore, quod vanissimarum rerum specie tamdiu fuerint ab ea percipienda, fruendaque retardati. itaque inflammati amore ejusdamani compensandi, toti ad illam penitus intuendam & complectendam incumbunt. Qui quidem æternum tibi, Princeps Illustrissime, gratias agent, quod perfecto hoc Gymnasio & aditum facilem aperueris repertam veritatis: & eâ repertam fontem purissimæ & liquidissimæ voluptatis.

FINIS LIBRI PRIMI.



PA.